Pſal

Pſa
10

Pſa
8

MISSA

IN FESTO DIVINI SACERDOTII DOMINI NOSTRI J.C. ET OMNIUM SANCTORUM *SACERDOTUM ET LEVITARUM.*

Introitus.

Pſal. 2 DOminus dixit ad me Filius meus es tu: Ego hodie genui te: Tu
Pſal. 109. es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.
Pſalmus. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtu-
Pſal. 83. tum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

V. Gloria Patri. Sicut erat.

Oratio.

DEus qui unigenitum tuum nobis dediſti ſummum Sacerdotem; ei que ad ſacrificandum tibi hoſtiam mundam, & ad promovendam humani generis ſalutem ſanctos Sacerdotes & Levitas conſortes tribuiſti: quæſumus ut iiſdem ſanctis Sacerdotibus & Levitis intercedentibus, ſpiritum gratiæ cui ſervierunt, in eccleſia tua excitare digneris. Per eumdem..... in unitate ejuſdem.

Lectio Epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli ad Hebræos. *Cap.* 5.

FRatres; Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in

iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis: qui condolere poſſit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate: & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis. Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum: filius meus es tu, Ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia. Et quidem cum eſſet filius Dei, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam: & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex juxta ordinem Melchiſedech. De quo nobis grandis ſermo, & ininterpretabilis ad dicendum.

Graduale V. Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram, memores erunt nominis tui Domine. Pſal. 44.

R. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, propterea populi confitebuntur tibi. Alleluia, alleluia.

V. Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Pſal. 138.

PROSA

Ad libitum dicenda.

Legis novæ ſpecta dotem,
Deum habet Sacerdotem,
Deum Sacrificium.

Per Miniſtros hic litatur,
Ipſe ſemper operatur;
Grande miniſterium!

Jam que cœlos penetravit,
Quundam mortalis intravit
Templi Chriſtus intima.

Super aras hic litata,
Hæc in cœlis ſtat mactata
Super thronum victima.

Quæ circumſtat proſtratorum
Turba ſacra ſeniorum,
Cleri ſunt primitiæ.
Immolati ſervierunt,
Immolato ſe junxerunt,
Nunc conſortes gloriæ.
Ubi Chriſtus eſt magiſter,
Illic ejus eſt Miniſter,
Ejus ſedens ſolio.
Patri placet honorare,
Quos præcepit miniſtrare
Se litanti filio.
Viri deſideriorum,
Fructus metunt labiorum
Deo confitentium.
Qui nos olim præceſſerunt,
Noſtras modo preces ferunt
Sibi nacti præmium.
Tædet terris permanere,
Chriſto juvat conſedere,
Quis det cœlo nos complere
Noſtrum miniſterium!
Pars, ô Jeſu, Sacerdotum,
Noſtrum, Jeſu, bonum totum,
Veni cito, reple votum
Corde te quærentium.
Princeps paſtor, paſtor bone,
Emptos tua paſſione,
Tua ſacros unctione,
Mente, verbis, actione
Fac nos tibi ſimiles.
Quos Miniſtros das vocari,
Fac nos tecum commorari,
Tecum mente converſari,
A te numquam ſeparari,
Tu, qui ſalvas humiles.
Amen. Alleluia.

Sequentia ſancti Evangelii ſecundum Matthæum. *Cap.* 5.

IN illo tempore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos eſtis lux mundi. Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſupra candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Nolite putare quoniam veni ſolvere legem, aut Prophetas: non veni ſolvere, ſed adimplere. Amen quippe dico vo-

bis, donec tranſeat cœlum & terra, iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Dico enim vobis, quia niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. *Credo.*

Offertorium. Talis decebat
Heb. 7 ut nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus & excelſior cœlis factus.

Alleluia.

Secreta.

SAnctorum, Domine, Sacerdotum tuorum gloriam recenſentes, ſacrificium illud Filii tui offerimus, de quo Sacerdotium ſumpſit omne principium. Qui tecum vivit.

Communio. Quæcumque ligaveritis in terra, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram erunt Math. 18.
ſoluta & in cœlis.

Poſtcommunio.

DOmine Jeſu Chriſte qui nos efficis & Sacer dotii tui participes, & ſacrificii miniſtros, præſta quæſumus ut intercedentibus omnibus ſanctis Sacerdotibus tuis & Levitis, eorumdem proficiamus & Religionis obſequio, & beatitudinis conſortio. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

F I N I S.

Math,
18.